
ARNULFI LEXOVIENSIS

EPISCOPI

OPERA QUÆ EXSTANT OMNIA

EDENTE

J. A. GILES, LL. D.,

Ecclesiæ Anglicanæ presbytero et collegii Corporis Christi Oxon. olim socio.

(Oxonii J. H. Parker, 1844.)

J. A. GILES EPISTOLA DEDICATORIA.

Reverendo et spectatissimo fratri Philippo WINTER, venerabilis Academiæ Oxoniensis vice-cancellario, et collegii Sancti Joannis Baptistæ præsidi, cæterisque egregiis viris et bonis fratribus suis in eodem collegio degentibus, Joannes A. GILES, humilis eorum consacerdos salutem et ad omnia servitium!

Quanto gaudio, quali mentis exultatione afficerer, cum librum istum eximium, cujus mihi vestra fraternitas usum præbuerat, iterum oculis percurrerem, nemini, nisi ei soli e vestra sodalitate, qui librum in meas manus tradidit, facile esset conjicere. Nec enim multum temporis in examine istius codicis occupatus, inveni epistolas illas quæ in hoc libro in lucem prodierunt, stylo haud ineleganti scriptas et ad celeberrimos quampures viros, inter quos sunt Henricus II, rex Angliæ, sanctus Thomas et Gilbertus Londoniensis, directas, nec unquam, quod sciam, in mundum editas.

Vobis igitur, viri reverendi et charissimi, ut decet, reddo munus quod vestra fraternitas mihi obtulit: obnixiusque imploro ut episcopus Arnulfus sub vestra tutela eius laudes, quas mihi nullas debere poterit, merito consequatur. Valeat fraternitas vestra.

Datum Oxon. an. In. Dom. 1844, ind. ii.

J. A. GILES PRÆFATIO.

Affinitatis ratione habita quæ Angliam olim et Normanniam junxit facile intelligitur cur Normannum episcopum inter primitivæ Ecclesiæ Anglicanæ scriptores admittamus. Arnulfi præterea, Henrico II, Anglorum regi, genere conjuncti, epistolæ multa narrant extranearum Angliæ ditionis provinciarum res ecclesiasticas et historiam illustrantia quæ non alibi reperire est. De lite etiam quæ tunc temporis spirituales inter et temporalem potestatem exorta est, pretiosissima documenta habemus ex Arnulfo qui partes adversas conciliare conatus est.

Superfluum duximus hic multa de Vita Arnulfi referre. Pauca quæ sequuntur sufficient. Multis adversantibus, sed favente summo pontifice, anno 1141, Lexoviensis diocesis episcopus creatus est, cui annis quadraginta præfuit. Juvenis adhuc terram sanctam cum exercitu cruce signatorum adisse videtur. Familiaritatem cum S. Thoma Cantuariensi, tunc regni cancellario, junxit, et in epistola nunc primum in lucem edita illum monet ut a periculis et insidiis caveat quibus patent in aula degentes. Diocesis suæ negotiis nihil antiquius habuit, adeo ut res alienum grave contraheret de quo nunquam se expedierit. Hoc nos docent epistolæ nunc primum in hoc tomo vulgatæ. Postremos vitæ annos egit in conventu canonico S. Victoris Parisiensis, quo post abdicatum, iterum atque iterum urgente Henrico II, episcopatum se receperat.

Ex epistolis Arnulfi septuaginta una editæ sunt Parisiis, ex bibliotheca Odonis Turnebi Hadriani, 8°, 1585, et in Bibliothecis Patrum recensæ. Tres præterea reperire est in D. Bouqueti Scriptoribus rerum Francicæ, d'Acherii Spicilegio, et Vita et Epistolis divi Thomæ. Prodeunt nunc numero ferme duplii auctores, ope vetustissimi codicis ms. quem cum editore communicavit D. Winter, Sancti Joannis collegii præses et Universitatis Oxoniensis vice-cancellarius.

Epistolis Arnulfi quas suppeditavit præstantissimus hic codex accedunt ejusdem Carmina et Sermones ex editione principis, nec non Tractatus *De schismate*, Romæ ab auctore nostro scriptus anno 1151, occasione schismatis post Honorii II decessum de summi pontificis electione orti.

J. A. G.